

Probat autem hoc evidenti experimento:

Σημεῖον δότι ἔλκει πλεῖον ὁ πεφυσμένος ἀσκὸς, τοῦ κενοῦ.

“Signum autem est, quod plus ponderat inflatus uter, quam vacuus.”

Non est ergo aer levis. At in his duobus levitas omnis continebatur. Nulla ergo est in universo levitas. Ergo et gravitas omnis tollitur, contrario suo e medio sublato. Amplius, neque aqua gravis ullo modo est, in sua regione, urinantes enim, et pisces, et homines nullam supra se sentiunt gravitatem. At sentirent, si gravis esset, et gravitas tactu, aut pondere cognosceretur. Quod si aqua gravis non est, in sua regione cur terra in sua regione erit gravis dicenda? Neque enim in sua regione pondus ullum habet. Si enim haberet, nec cavernosa esset, in sua chasmata, ac speluncas, tota caderet: nec faxa tantum virium haberent, ut tantum pondus sustinere possent. Nullus aer, nulla aqua in cavitatibus subterraneis, reliqua aut esset, aut per meatus permearet. Sed in se non cadit, ergo in suo loco non est gravis. At partes videntur graves, quia cadunt. Verum est, sed cadunt a non proprio in proprium locum, ut toti scilicet suo uniantur, et cum eo reintegrentur, non autem ulla id faciunt gravitate, exemplum autem illud.

Οὐ γαρ ἐὰν τὶς μεταθῆ τὴν γῆν, οὐδὲν ἡ σελὴνη, οἰσθήσεται τῶν μορίων ἔκαστον πρὸς αὐτὴν, ἢλλοπου περ καὶ νῦν.

“Neque enim si quis transponat terram, ubi nunc est Luna, ferretur unaquaque pars ad ipsam, sed eo, quo et nunc.”

At quo modo id probat Aristoteles philosophus ingenio tam acri? Nulla ibi adest probatio. Et si quae est, circularis est, subnectit enim.

Ολως ὑπὸ οὖν τοῖς ὄμοιοις, καὶ ἀδιαφόροις, υπὸ τῆς αὐτῆς κινήσεως, ἀνάγκη τοῦτο συμβαίνειν ὥσθε ὅπου πέφυκεν ἐν τῷ φερεσθαι μόριον, καὶ τὸ πᾶν.

“Omnino in similibus, et indifferentibus, ab eodem motu, necesse est hoc accidere. Itaque ubi nata est, una aliqua pars ferri; et totum.”

Quo pars movetur, eodem movetur, et totum, et quo totum movetur, eodem et pars movetur. Non ne haec circularis est demonstratio. Sed quid nam rationi consonantius est, partes ne ad totius moveri motum? An vero totem ad motum partium? Quod cæci vidissent, Aristoteles non vidit. Aer sibi similis est, et a se ipso indifferens, suprema eius pars circulo, ut aiunt sui, movetur, ergo et media, et quae supra montes, proxima infimæ est, rotabirur. Quae est haec falsitas, et absurditas? Flumen sibi simile est, una eius pars aggeres scandit.

Totum ergo flumen iiluc curret, nihilque ad mare alveo decurret? Oceanus Britannicus æstu ingenti currit ad littora. Cur et Narbenensi, et Ligusticum in tra columnas non idem facit.

Quando ergo Aristoteles nullam probationem adducit, si terra apud Lunam esset, partes eius non ad totum, sed huc ad medium fermentur, et quas profert, vel dignitates, vel argumentationes, partim sint circulares, partim falsæ, tota eius et sane prolixa de gravi, et levi disputatio, et falsa, et frustatoria est, et terræ partium descensus, non gravitatis ratione ulla fit, sed similis appetitu, et partium cum toto desiderio redintegrationis. Ergo et Geographorum rationes omnes, quae hinc desumptæ sunt, frustraneæ, et vanæ sunt, et inefficaces, ad terræ, aut aquæ rotunditatem adstruendam. Nos vero de universi centro sermonem prosequamur. Unum est universi centrum, a quo lineæ quantum possunt productæ, omnes inter se sunt æquales. Ita enim ante alios omnes, vetustissimus docuit Zoroaster.

Κέντρον ἀφ'οῦ πᾶσαι μέχρις ἀν τύχον ἴσαι ἔασιν.

“Centrum a quo omnes usque quo contingat, æquales fuerint.”

Possunt autem lineæ, ex Geometrarum concessionibus protrahi in infinitum. Omnes ergo quaqua versus, a centro in infinitum, productæ linea, inter se erunt, æquales. In quo sane infinito spacio medium, centrum est. In hoc medio terram, uti vidimus, Conditorem collocasse docuit idem Zoroaster.

Γὴν δὲν μέσῳ τιθεὶς. Terram in medio ponens. Quod medium etiam terræ centrum appellavit. Ανωθεν διήκοντος δι ἀμπάξ ἐπὶ τὸ κατ'ἀντικρὺ διὰ τοῦ κέντρου τῆς γῆς.